

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**De influxu dogmatis reformatorum de sacra coena in  
praxin fidei et pietatis, quanto et quali?**

**Pfaff, Christoph Matthaeus  
Hochstetter, Gottfried Ulrich**

**Tubingae, 1720**

Thesis IV.

[urn:nbn:de:bsz:31-130755](#)

admodum enim non defectus sed contemnus sacramentorum  
damnat, ita nec error circa sacramenta nisi voluntarius &  
malitiosus damnat, ut taceamus, sacramenta (id quod omnes  
Theologi fatentur,) absolutæ necessitatis haud esse. Hinc,  
si etiam, quod cum Formulâ Concordiæ p. 734. magna  
Theologorum pars tenet, Reformati nullam cœnam sacram  
haberent, tamen fons salutis apud eos nondum obstructus  
esset.

### Thesis III.

**Q**uod de erroribus circa sacramenta in genere  
dicitur, id de erroribus circa S. cœnam vel  
maximè dici debet\*, cùm sacra cœna tam necessaria,  
uti baptismus, omnibus patentibus, haud sit.

\* Exceptionem tamen hæc thesis patitur quoad errores Ro-  
manensium de S. cœnâ, qui sacrilegium, qui idolatriam  
sapiunt aliasque veritates divinas jugulant.

### Thesis IV.

**Q**ui veritatem verborum institutionis S. Cœnæ  
vel in minimis saltem suggillat, qui Christo  
ea proloquenti haud credit, qui contra conscientiam  
in perversum sensum eadem detorquet, qui mali-  
tiosa mente ductus rem in signa mutat, qui bonis  
novi Testamenti fideles, quantum in se est, privat,  
qui testamentum Salvatoris nostri corrumpit & in-

vertit, anathema esto. Jam verò Reformatos veritatem verborum institutionis haud inficiari nec ullam, quam in iis existare credunt, positionem in dubium vocare, clarum est. \* Tota lis inter nos & ipsos est exegetica, quisnam eorum sit sensus, quos semel posito nemo est, qui non, perversa ratione silere jussa, veritatem, quam se tenere putat, illicò amplectatur. \*\*

\* Hinc Reformatis objici nequit, quod Deo per verba institutionis loquenti credere nolint eumque mendacem reddant.

\*\* En quid judicose & eleganter hic ajat SAMUEL WERENFELSIUS, Theologus Basiliensis celeerrimus: *Principio monendum est, (quod monere supervacaneum esset, si non nisi aqui homines de religione disputationarent, veruntamen quando qui de rebus divinis cum aliis concertant, non semper omnium sint equissimi,) monendum est, non agi hic de veritate verborum Domini sed de sensu eorum, neque in disceptationem venire, si ne verum, quod Salvator noster dixerit, sed quid sit illud, quod dixit. Anathema sit, qui sensum verborum Domini intelligens vel momento de eorum veritate dubitat. Anathema sit, qui verba illius idèo, quoniam difficultas sibi creditu videntur, in insensum alienum detorquere nittitur. Nihil tam incomprehensibile est, quod non parati sumus credere, simulac nobis constiterit, Christum, qui veritas est, id dixisse. Quod si qui sunt, qui agrèferunt, quod sensum verborum Domini rejicimus: sciant, unicam hujus rei causam esse, quod firmiter persuasi sumus, sensum eorum non esse sensum Christi. Haecenus WERENFELSIUS in diss. in verba Domini: hoc est corpus meum &c. C. I. paulò post initium.*